
160



QUÆSTIO MEDICA, 28.



DISPUTATIONIBUS CARDINALITIIS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18 Martii 1723.

M. PHILIPPO HECQUET,

Doctore Medico & Antiquo Facultatis Decano, Præſide.

An Creatoris & Naturæ legum imago, carniſprivii Lex?

I.

ERGO-NE ad eſuriem naſceretur homo, enecandus fame, abſtinentiâ macerandus? Ita-ne fuerit factus ut unas depaſceret herbas, fatuas dapes, debita miſeris ſolatia, eruditis deſpecta menſis? O Deus, hanccine vitam! at num alias, aut notæ melioris eſcas primo hominum parenti in Paradiſo paraverat Naturæ parens? Num tot inter animantia quibus incolebatur recens orbis, illorum alterutri credita fuêre ſanitatis non interituræ præſidia, ſemina immortalitatis? Contra ex arboribus elegit unam Creator, cui vitæ titulum fecit, & inſigne nomen, cujus quippe unius delibando fructum, ſanitatem ſibi renovaſſet homo, perennaſſetque vitam. O fortunatum ergo nimis hominem, ſi ſua noviſſet bona! At quæ? hæcne ex chorte ducta? ex armentis? ex gregibus? ex aviariis? hinc undequaque animantia veniunt, quorum comediſſe ſanguinem poſthàc pro crimine * fuit. Talibus ne polluerentur hominum ora præcavendo Creator, hominum primo juſſit incruentas dapes. *Ecce*, inquit, *dedi vobis omnem herbam & univerſa ligna* (id eſt arbores) *ut ſint vobis in * eſcam.* Ideò ne quia animantia alerent in ſe aliquid mali? Apage illud convicii genus ab eo illorum auctore, quem capit mali nihil, immò boni omnis conditore ſummo, ſapientiſſimoque ſcrutatore rerum, qui *omnia quæ fecerat pervidendo* dixit eſſe *valde bona.* Interim bonum operum illius maximè intelliges, ubi inſtitutis ſuis illa ſerviunt & finibus. Hinc quod à Creatoris abalienatum eſt conſiliis, utut ſit in ſe bonum, utile ſit minus. Mala ergo æſtimare aut inutilia in ſe ipſis animantia, crimen erit, at utilia minùs illa putabis hominum pabula, utpote in eſcas illorum creata minùs. Cæterùm Creatoris arbitrio non imputabis hæc inſtituta rerum, vel ſoli imperio omnipotenti, at ùt in artificem quemlibet ſponte cadit operum ſuorum commoda noviſſe, & arcanas illorum neceſſitates, ſupremo opifici num defuerit omnimoda quas creavit rerum ſcientia, quâ arcanas noverit illarum artes, ſimul & harum ſervandarum rationes providerit? Rationes igitur in herbis & arboribus creatis concipito ſimiles iis quas ad tuendam vitam in homine creando ponendas prænoverit Creator. Rém altiùs ſcrutari vis aut ulteriùs? habes ad manum. Utrorumque, herbarum ſimul & hominum ex æquo factor ut fuit Deus, horum, & illarum neceſſitudinum bene conſcium illum intelligito; poſthàc fugiſſe illum finge tibi, ſi potes, illorum reſponſus mutuos, reciprocaſque convenientias, immò & modos quoque ma-

A.

* Gen. c. IX. v. 4.

* Gen. c. I. v. 29.

liores, quibus invicem sibi opitularentur, apertos illi fuisse ultro affirmabis. Sic ergo intelligendo Creator quid in se condunt herbæ virtutis, quosque instituit in plantis ad alia respectus, eodem intuitu noverit ponendas à se in humano corpore creando cum herbis creatis convenientias. Itaque quòd hominis formationi præiverit herbarum egerminatio, fortuito non dabis nec cæco consilio, parata enim in his erat propediem formando homini annona, quâ alituræ illius providebatur sapienter, nempe ut statim enatus statim alesceret, facilibus & paratis ad manum dapibus illicò pastus; hinc apertus illorum error qui ab animalibus homini pastum quærerent; reipsâ quàm citò fame enecandus venisset à creatione recens, qui à bello cum belluis vitam habendo auspicandam, gladiis aut similibus jugulandi, trucidandive defectus fuisset instrumentis, utpotè quæ nonnisi multo post tempore tantum inventa fuêre, quo nempe prodierunt in orbem *fabrorum & malleatorum* opera in *ære & * ferro*. Necdum etiam repertâ venandi disciplinâ, quantùm homo incurrisset periculi à feris quas venando captare tentasset inermis? conjecturas fingi putas, aut verba dari? fidem cogent sacri codices. *Faciamus*, inquit Creator, *hominem ut præsit piscibus, volatilibus, bestiis, omnique * reptili*. Hinc enim disces animantia homini data esse, non in internecionem, non in esum, sed in dominium. Feri simile nihil habebat aut inurbani, præstituta homini à Creatore victûs ratio, quippe quæ ex maturis (*ad vescendum quippè bonis*) fructibus erat, quos ex omni *ligno paradisi* decerpendos habebat & comedendos. Hos hominis causâ factos fuisse dubitas? In illius alimoniam cessuros admonet Creator. Inquies, hominis nondum lapsi, & paradisi solius fuisse illam vivendi normam? Sed ab hâc non desciviste lapsum hominem testatur sexdecim ante diluvium sæculorum ritus, sub quibus à carnibus abstinentiam durasse evincit, quæ nonnisi post diluvium facta est carnis edendæ copia. Hîc enim prima invenitur carnium interdictionis resolutæ epocha. At Creatoris instituti refricando memoriam, illius renovavit legem aut restituit, factum mille circiter post diluvium annis de mannâ celebre miraculum. Israëlitici enim populi per 40 annos in deserto servandi à morbis curam, & salubriter alendi annonam in se Deus suscipiens, illam duxit non ex animalium carnibus, sed ex *similæ* genere, *minuto* quod *quasi pilo tusum erat & quasi semen coriandri * album*. Equidem carnibus indulgeri voluit semel populus, *Deusque pluit carnes, sed adhuc erant in ore eorum & ira Dei erat super eos*. Reverâ ergo pœna tunc facta est carnium indulgentia; tam verum est ad Creatoris mentem quadrare, aliundè quam ex carnibus ductam victûs rationem! Ad cerealia enim aut illius ingenii edulia spectare manna fateberis, cogitando id escæ genus populo fuisse solum commodatum à Deo, usque dum terram promissam ingressus, paratos ibi aut ad manum haberet terræ fructus; his quippe datis manna * cessavit. Aliunde argumenta corradi cupis? Suggerunt veteres historiæ, unde fides innuitur à glandibus inchoasse primorum hominum vitam. Atqui arboris fructus sunt glandes, dapes exsangues, sortis illorum & ingenii quo donata sunt genuina hominis, utpote ad Creatoris legem facta, edulia. Genuina enim hîc dices quæ vitæ & sanitati tuendæ satis erunt, quæ nec mole sua gravent, nec virtute lædant. Incommodum quidem duplex, sed cui *una & eadem*, ut aiunt, *fidelia* medetur cibi simplicitas, qui sale suo non vellicet acriùs, fatuo sapore non exsurdet, unde exurgit amicabile par sanitatis parens, *frugalitas* non fastidiosa, non injucunda *sobrietas*. Aureâ illâ mediocritate terræ fructus dotavit Creator, sapidos factos satis ut moveant salivam, non plùs saporos ne illam prodigant, aut *lympham* fundant impensiùs. Aliûs-modi certè sunt ex animalium carnibus edulia, quæ ut magis carnulenta sunt & sapidiora, sic pungunt acutiùs, & insidiosiùs exstimulant. Quòd ergò eliquent succos & profundant *lymphas* mirabere minùs, in causâ est feriens amicè & dolosè blandiens acutus illorum sapor, quo inducta ciborum ingluvies *solida* gravat, premit, stringit, & vasorum arctat diametros; insimul *fluida* cogit, densat, impedit, rardat, circulationique struit obices. Non sic de arborum & terræ fructibus, ab his ut abest longè vellicatûs tyrannis, non difficilis temperantia venit, tolerandaque esuries; illa nimirum quâ jejuna semper vel satura minùs viscera, oscillando, terendo, excernendo, *depurando*ve paria sunt semper, unde superamentorum, *congestionum*, cruditatum & obstructionum pericula arceantur & materiæ. Hinc succorum, motuum, *secretionum*, functionum justa æquabilitas, à quâ prætcor.

* Gen. c. IV. v. 22.

* Gen. c. I. v. 26.

* Exod. c. XVI. v. 14. 31.

Jos. c. V. v. 12.

diorum libertas, viscerum nitor, locorum munditics. Sic *fluidis* assertum durat cum *solidis* perenne æquilibrium, quod juvando corpus, mentem serenat; facitque sanam in corpore sano.

II.

VITÆ modus æquipondii ratio est. Halter hinc in *fluidis*, illinc in *solidis* halter. Utrumque æquiparare opus & labor fuisset, opus in alimentorum productione inchoatum, in hominis formatione absolvit Creator: alimentis *numerum*, *pondus*, *mensuram* ad corpus humanum sua fecit, singula eadem in homine fecit ad alimenta, ut sic stabilito utrinque æquabili momento, diu penderet, nec impari lance statera vitæ. Hæc alimenta primæva habebis, ut futuri corporis humani *fluidorum* scaturigines primas, & natale fundum; corpus, ut futurum *solidorum* sedem & locum; utraque, ut correlativa duo aut æmula quibus suæ fuerint *digito Dei* signatæ rationes, respectus, communitates, quibus serviret œconomia animalis & amicè manciparetur. Rationes intellige, fœderationes, pacta, leges, quibus illa auscultaret; hæque leges sunt, ad quas in humano corpore, *fluidis* mutuas dant *solida* manus, suis in operibus conficiendis & perficiendis functionibus. Digestionum coctionumve nominibus, has designabis functiones, quæ juxtà insitas illas Naturæ leges elaborantur: ita ut alterutrinque rupto fœdere, violatis respectibus, rationibusque mutatis vitietur labor, opera adulterentur. Hæc cùm ita sint, primæva alimenta ideò digeri apta facta erunt, aut in fluida verti, quia cum rationibus creata sunt ad potentias *solidorum* in homine creatas, hæ autem potentiæ singulares obtinuerunt ad primæva alimenta rationes & vires: *solidorum* ergo potentias omnes ad ejusmodi alimenta spectare liquet & collimare, eòque referri totius animalis œconomiæ Leges. Adde illius naturæ esse illas potentias, ut ad digerenda ejusmodi alimenta, affabrè & specialiter factæ videantur. In vi *systaltica* nempe consistunt, quæ oscillatoria, pressoria, *tritoria* omnino est, ad illa proinde comparata quæ frangi, conteri, eliquarive apta nata sunt: atqui una est & universalis *Systaltica* virtus, per omnes partes, fibras per omnes diffusa, sic ut nullum viscus, officinam nullam, nullum vas, corporis recessum invenias nullum, *systalticæ* virtutis exortem; de universis ergo & singulis partium fibris concludi vetat nihil, ex illis esse nullam, quæ *tritum* non innuat aut non sapiat, nullam quæ ad materies primævis affines alimentis digerendas, facta non videatur. Huic asserto fit fides iis ab rebus, quibus coctionum (quæ trituræ sunt) organa, vel officinæ implentur, stipantur, constant, aut animantur, omnibus quippe materiebus, *menstruis*, artibus, & succis, quæ tritum invitant, produnt, referunt, adjuvant. Suos habet *Chymia stygios* liquores, ardentes spiritus, *evectos* sales, ardores prunarum, carbonum ustiones, ignium gradus, *reverberii* & *rotæ* furores, quibus *mixta* torqueat, extorqueatque *spiritus volatiles*, *sales lixiviosos*, *tincturas* mirabiles, *elementares mixtorum dissolutiones*, *radicales corporum analyses*: ad hæc terrea, ferrea, metallica, marmorea, verbo solida & compacta sibi fecit vasa, valida omnia instrumenta; hâc omni durâ suppellectile abstinet œconomia animalis, ad absolvendas innumerabiles, quæ fidem & cogitatum superarent, dissolutiones, attenuationes, *alkoolisationes*. Grandia hæc unæ exequuntur fibræ vimineæ, & flexibiles, *toni* mollis, teneri textûs, pulposi, spongiosi, comperto sed invisibili *elatere* constantes & validæ. His ex fibris membranæ densæ non duræ, lentescentes non flaccidæ, firmæ non rigidæ conflantur; intortæque modò, modò fornicatæ, hîc in involucra, in tubulos illîc, canales, aut vasa vertuntur: *contractilia* hæc omnia, imbuta tantùm latente, & inconspicuâ virtute, immane tamen, quot potentosos ediruta effectus! *Sale volatili*, *exaltato* spiritu, *dephlegmato* nempe scrupulosiùs, vel aquæ puro, imprægnata isthæc vel animata opinaberis? Una *Lympha* est, summè tenuis, elævigata milliès, quâ rorantur, turgent, & gravidantur, quæ ipsis pro animulâ est, motuum, roboris & oscillationum causa; insuper *menstrua*, succi principes, nobilitati liquores, *dissolutionum*, *digestionum*, *coctionumve* magistri, administri *secretionum* liquores, ipsæ *excretionum* materies plurimæ, aquæ speciem referunt, aut *lympham* repræsentant. Igitur corpus humanum salicceto fermè compares, adeò aquam amant, & sapiunt omnia illius organa, humores, instrumenta, insimul & instrumentorum illius potentiæ omnes. Nec mirum, aquæ sunt aut ex aquis succi quibus subigendis, tractandis, elævigandisque, singula hæc suâ sunt institutione destinata. Quid enim (amabo) aliud ab aquâ, fructuum vel

herbarum ſuccus? Quid aliud cerealium ſucci, quàm elacteſcentes aquæ? Itaque alimenta hæc inter & humanum corpus, utrobique invenis ſemper ſimilitudinum characteres, *analogiſmi* notas & affinitatum notacula, quibus ad invicem utraque creata recognoſcas. Singulares hæ ſunt naturæ leges, quas fulciunt & adjuvant, quæ univerſales orbi datæ ſunt. Aqua eſt, unde tam multa eduxit, dum orbem condebat Creator, à quâ ut duci juſſit primordia rerum, illa ipſa eſt, unde vigere ea voluit, & ſuſtentari. Hinc ne in orbe careretur aquis, fecit primùm ut terra medias inter aquas crearetur; * poſthàc ut *fons aſcenderet è terrâ irrigans univerſam ſuperficiem* * *terræ*. Denique ut quatuor præclaris fluminibus rigaretur paradiſus, donec futuris imbribus humeſcere terræ concederetur *nondum* enim *Dominus Deus pluerat* * *ſuper terram*. Num argumento, gravidatas nondum tunc eſſe imbribus nubes, utpote defectas futuris halitibus, quos terra creandi propediem hominis colenda manibus, ſpirare ſurſum debebat? halitibus autem qui ab inferis vaporum formâ ad ſuperiora aſcendentes, ad inferiora aquæ formâ reflexi deſcenderent. At numquid non itus hic & reditus, aſcenſuſve & deſcenſus humorum, primum & inſigne humorum circulationis fuerit exemplum? Artis naturæ aut conſuetudinis illius, in fluidorum regimine, ſolemne argumentum? Inde ſubodoraberis fieri hodie novi nihil in aquis, quarum non ſecus ac cæterarum rerum, creata fuerint in principio initiamenta, adeo ut quòd in animalibus ſunt generationes quibus ſuis ex ovis coævis mundo, educuntur animalium corpora, idipſum in aquis ſint imbres, rores, & ſimilia aquarum ſpecies & genera, aquarum in principio creatarum veluti fœtus erunt & ſoboles; vultus primigeniarum aquarum novi, quæ circulando mutaverint formas, non aquæ novæ. At quid (inquiunt) Medicinæ cum illis aquis? Ut diſcas meminerîſque, humano in corpore humoris eſſe nihil, cujuſlibet fuerit coloris, formæ, habitudinis, quod in radice aut ſemine *lympha* non ſit, aut aqua; ruber ergo fuerit albuſve in corpore humor, tincta erit ſaporaque diverſimodè *lympha*, ſed primigeniæ *metamorphoſis* ſincera *lympha*. Iterum, ut obſerves quantum reſpectûs & ſimilitudinis ſit oportet, corpus inter & alimenta, quibuſcum corpori de naturâ convenit, vel de ſubſtantiæ modo. At quàm parum aqua ab aquâ differt, tàm parùm *lympha* diſtat ab aquâ. Porrò aqua tota erant primæva alimenta, tota etiam *lympha* ſunt corporis partes & partium ſtamina, utraque ergo in ſe tantùm fermè ſunt, quantùm *ovum ovo*, ſimilia. Similitudinis naturæ legum lucidum adhuc prodit argumentum, creatus aër. Principalis ut eſt naturæ actor, illius quoque legum aſſertor & proditor eſt. Vis ergo edoceri cujuſmodi ſint potentiæ corporis, vita cujus ab aëre pendet? aëris attende potentiæ genus. Tota hæc eſt in oſcillando ſita? oſcillandi vim in corpore conjicito. Talis eſt ſyſtaltica virtus totos diffuſa per corporis artus? oſcillatorias aſſerito corporis potentias, preſſorias proïnde, & *tritorias*. Noſti tandem de terræ fructibus, ut coqui queant, teri amare? corporis naturæ legum cum creatoris legibus luculentiſſimum tenes ſimilitudinis argumentum.

Marginal notes: * Gen. c. 1. v. 2. — * Gen. c. 2. v. 5. — * Gen. c. 2. v. 6.

III.

VISE jam utrum definies? an iniquum eſſe rerum æſtimatorem, an Creatoris ſapientiæ cultorem avarum; qui humani corporis omnia ad *tritum* creata videns & compoſita, de eduliis affirmat infauſta illa eſſe vel infeſta ſanitati, quæ ad tritum omninò facta ſunt? Nam hujus ſunt ſortis alimenta quæ jubet Carniſprivii Lex, ea tamen cauſariis corporibus & dubiis valetudinibus, ut inſalubria ejurari vellent ignaræ plebis deceptæ mentes, gerularum ineptiis & infantiis opinionum præoccupatæ. Cerealia hæc ſunt, radices, herbæ, fructus, fragiles materiæ, ſeu frangi amantes, indolis & ordinis à Creatore inſtituti, ad longiores (quas unquam vixêre) hominum vitas, ſub quibus pro annis ſæcula numerabantur. Stricta minùs Eccleſiaſtica Lex, piſces & teſtacea concedit, primis quidem indicta hominibus, ſed noſtris indulta, ſapienter tamen, nec inopportunè ad inſtituti Creatoris rationem & veritatem. Ex piſcibus enim ſaxatiles ſunt, & alii texturâ denſiores, quibus competit *tritûs* opera; tum ex utriſque non pauca quæ eliqueſcendo digeruntur in ventriculo, cujus nempe preſſu, friatione, & frictu reſolvi poſcunt, adhucque ad Creatoris inſtituti mentem, qui in potum aquam creando unam, homines voluit admonitos, propria iis eſſe illa alimenta, quæ aquâ coquuntur meliùs, edoctoſque, aquam eſſe nativum & univerſale *menſtruum*, non dubium, non anceps, non impotens, omninò quippè par ſolvendis omnibus, non tantùm quæ inſtituit Creator eduliis, ſed & iis quæ ejuſdem cum illis forent in poſterum indolis, aut ingenii. Hujuſmodi ſunt piſces, fructibus arborum affines in eo,

quòd fundi in ventriculo gaudeant, aut eliquescere. Argumento sit vini usus qui ad digerendos pisces abusus est; vino enim adeò resolvi recusant pisces & fructus, ut à vini potione durescant, coctionem enim primam tardat vinum, cujus acidis facta gravis *stomachalis lympha* pigrescit; hinc coctionis ventriculi torpor, quo segnescens chylus, secundæ & secuturis coctionibus facit moras, solita morborum seminia. Hanc ob rem videas tam multos, qui currente aut expirante carnisprivio, graves incurrunt morbos; causam rogas? Toto carnisprivii tempore duplicatum indulsêre sibi vini demensum; ad coquendos (aiunt) pisces, obliti sic indigenam esse piscibus aquam, ut quâ viventes delectantur, câdem mortui gaudeant adhùc. Reverâ Lac & Butyrum habent esuriales feriæ, à quibus crebra enascuntur incommoda; at illas nesciebat condimentorum pestes primis hominibus data diæta; ab hisque redundantibus condituris quamdiù jejunia vacarunt, tamdiù temporum nostrorum incommodis caruit Carnisprivium, utut tunc temporis in unis fructibus, herbulis, radicibus sæpe consistens, sale & aquâ, forte rudi cocturâ, conditis. Atqui hæcne moribus nostris aptari juberetur? hinc exesto austera hæc legum sævities, tantùm naturæ non suadet malorum bene temperata Relligio, jubet minùs; sed isthæc refricuisse decebat, ut noverint quantùm abstinere licet! quàmque longè ab antiquis nostri recessêre mores! de cætero butyrum & lac quòd adeo incommodent vitæ, unde miraris? indè proveniunt undè plus insidiarū imminet adultorum sanitati, ab animalibus nempè, à quibus pendent vel ut appendices, vel ut ex succis eorum confecturæ. Atqui quantò magis hominum alituræ aptata à Creatore vides ex terræ fructibus edulia, tantò minùs animalium carnes tuendæ hominum vitæ necessarias pronuntiabis. Dogma novum! assertum singulare! opinabile pronuntiatum! ac novumne quod verum? Quid autem tam verum, quàm quod ab auctore veri institutum ac proditum est? Novanda ergò forrè hìc asseritur veritas, non obtruditur nova, quin potiùs herbas hominibus & bestiis terræ in cibaria Creatoris lege cessisse, non novum, ast novati post diluvium orbis donarium fuit, novum jus, concessa homini ex animalium carnibus vivendi copia; copia autem non necessitas, venia non lex; de frugibus enim edendis promulgata erat à Creatore lex, legis relaxatio fuit carnis edendæ data facultas. Noverat benignè providus Creator, *corrumpi* proclives *hominum* * *vias*. Hunc ergo prævaricari pronum & facilem labi, concessâ re (quam attentasset) voluit donari, innocentem illum servare præoptans, ne nocentem novo diluvio punire cogeretur. Utrumque tamen alimentum munus est Creatoris; instituentis in alio aut ordinantis, tolerantis aut condonantis in alio. Iterum differunt, fruges enim, quod corporis serviant alituræ, de suo habent, carnes ab alieno; ab animalibus nempè, quorum carnes in tantum homini suggerunt laudabiles escas, in quantum ex opimis frugibus fuerint insuccatæ; in his mutatos habes cum illarum qualitatibus frugum sapores, in illis utrumque integrum habes & immutatum. Quorsum hæc? ut intelligas quomodo in conflandis animalium carnibus versæ sunt & immutatæ facultates herbarum & institutio, quæ cum ad compingendas humanas carnes jubente Creatore tendebant & destinabantur, hominis sanitati in eo pereunt, quod in carnibus animalium conversæ, alienentur. Corporis ergo frugibus alti, ad corpus carnibus saginatum ratio est, quæ ædificii ex lapidibus novis, seu à lapidicinâ recentibus structi, ad alterum ex ruderibus vel jam detritis usu materiaturis reconcinnatum. Quæ ergo ruderum à lapidibus novis differentia cernitur, eadem frugum erit, dentibus, omnibusque *tritoriis* animalium organis inexpertarum, à frugibus quæ animalium ore, stomacho, cæterisque commolendi instrumentis tritæ, coctæ, digestæ fuerint. Atqui repetitis tot moletrinarum pressuris invertuntur, mutantur, abalienanturve frugum substantiæ & modi, ut in animales evadant carnes, de suâ quoque ad fingendas carnes humanas habilitate perdunt tantum, quantum potentiæ insumpserint, & amiserint sui partium modi, in pinsendis animalium carnibus; posthàc quid sit carnibus nutriri rogabis? degeneribus & spuriis succis, sed veris frugum ruderibus farciri est, aut veteratis materiaturis resarciri. Suas ergo Carnarii sibi habeant & Pinguarii *carnium ollas*, isthanc celebrent præ sinceris frugibus adulteratam annonam, spurias delingant istas dapes, recti nos æmulatores semper & assertores veri, antiquæ virtutis & fidei edulia vindicamus. Quid autem si homini facta carnis copia pœna illi fuerit? Reverâ hominem rectum aut sceleris purum, ab iis servasset Creator, quæ longævitatem illius abbreviare potuissent. Ideo jusserat ut sub homine esset *carnium* appetitus, feceratque ut homo dominaretur illius, sed appetitûs illius mancipium factus est, qui

* Gen. c. VI. v. 5. 12.

modò dominus erat; carnisque captus voluptate, vidit primùm *pulchras* esse hominum

*Ibid. c. v. *filias*,citò posthàc visurus aut intellecturus jucundos esse carnium sapores. Equidem pares minus erant carnes tuendæ hominum longævitati, sed breviori verè dignus erat vivere vitâ, cui eviluerat non morituri conditio. Exaggerari putas? saltem à mutatis primævis eduliis, aut ab illorum, in animalium visceribus adulteratis potentiis, & destinationibus, non abludit à vero, illinc scaturiisse tam multarum, quibuscum nascimur invaletudinum fontes. Illinc ergò emersetit febrium densa cohors, morbida partium *diathesis*, morborum commune seminium; à mutato enim, vitiato, inversoque partium *tono* committi morbos convenitur, at aliunde ne lædi periclitatur magis partium *tonus*, quàm à malè moratis iis quibus partes insuccantur, & unde suam sibi pinsunt aut formant substantiam, corporaturam, habitudinem, & modum? Istius sortis sunt alimenta unde molem sibi faciunt, mores, & indolem prima partium stamina; aliundè deduces meliùs *spasmodicarum* affectionum materies, *congestionum* causas, rationes, origines? totque gravissimorum symptomatum ingruentium sub morbis, tàm promptè, tàm sæpè, tàm celeriter? hæc enim partium *cacopragiam* apertè producunt, arcanamque illarum teneritatem arguunt & *astheniam*.

IV.

PRÆDICANT quam cum humanis carnibus habent similitudinem animalium carnes; quas ideò præoptāt, quasi à sanguine sanguis, carnes à carnibus conficerentur meliùs. Sed heu sensuum mendaciis deceptas hominum mentes! in alimentis quærito similitudinem, non coloris, non nominis, non conditionis, sed indolis & naturæ; imò edulium bonitatem aperit nihil minùs, quam conditionis perfecta parilitas, seu parilis perfectio, simileve nomen cum alendâ re, vel reparandâ. Sic spiritus reparari voles? caveto ab iis quæ spirituum titulis gaudent, aut nominibus insigniuntur; ut enim derepente dissilit *matratium* quod actuosis & spiritu gravidis materiebus repletum fuerit, ita *sulphureis*, *spirituosis*, vel æstiferis eduliis si occupetur stomachus, illicò tumet, æstuat, ardet, tumque loco dulcis & lactescentis succi, æstuosos fundit latices. Igitur à tardatâ coctione aliquid times mali? ab illâ citatâ festinantiùs plus metuas; opus namque stomachi *exaltatio* non est, sed resolutio, evolutiove quæ subito non fit aut momento, sed patienter, & tēporis progressu; unde edulis alicujus *exaltatio* facta maturiùs in ventriculo, absoluta operatio erit, ubi inchoanda fuisset; tertiā coctionē diceres quæ præoccupasset primam. Id vitii genus incurrunt carnes, *exaltatis* enim succis, aut plene jam evolutis ut fœtæ sunt, actuosisque quibus ebulliunt particulis, stomachū turbant, angunt, incommodè habent. Testes sunt quibus fervet stomachus, his enim vina nocent, *aromatica*, *balzamica*, *spirituosa*; inde videas nostratium quàm multos, quibus gravatur aut dolet stomachus, hunc enim vinis proluendo liberiùs in dies, aut æstuosis liquoribus, inebriaminumque generibus mille, importunè sollicitant, stimulant impensè, succendunt, urunt. In alimentis ergò similitudinem æstimabis naturæ, non substantiæ, in potentiâ conveniens, non in formâ. Stupendum enim quàm dolosæ sunt rerum species & formæ! Sic partes in corpore videndo sanguine rubentes, eoque graves & turgidulas, illincnè æstimabis earum naturas, aut substantiæ modum? Errabis. Partium illarum ex aquæ repetito injectu, lotione factâ multoties, alba habebis elutia: membranea enim, & vasculosa, nudataque rubore partium stamina supererunt. Dices? Llotus ille succus ruber, ejectusque, dictarum partium futurum fuisset alimentum. Commentum: in alimentum enim cedit sanguinis pars non rubra sed alba; renuis fidem? albâ non rubrâ pauperatus comperitur animalium sanguis, quæ fame extincta fuerint aut inediâ. Mitte ergò hos colorum conceptus inanes, rerum enim superficies, aut corticem monstrando, fundum celant. Contra, si ex observationibus meditabere naturam, in facto illo elotarum adulti corporis partium albore, nativam recognoscis illarum, veramque *spermaticarum* partium conditionem; illas namque ex albente succo, nempe *lymphâ matre* natas intelliges, unde ex *lymphaticis* quoque succis & albentibus crescendum illis esse ultrò concludes. At *lymphaticos* succos sponte fundunt terræ fruges, tantum ergo præ carnibus in alimenta hominum meliores illæ habendæ veniunt, quantùm plus à naturâ habent alboris, ruboris minùs, plus *lymphæ*, plus proïn affinitatis ad primigenias partium naturas. Attamen (reponunt) lactescunt etiam carnes, *lymphas* enim ex se promunt. Argumento est *chylus* in quē dentibus contritæ carnes, & in stomacho tritæ desinunt. Testis *lympha* (serum illud lacteum) in quam suâ exutus purpurâ sanguis ultimò abit. Et hæc quidem vera sunt, at illud boni quod

fruges in se continent, in antecessum habent, quod de illo participant carnes, postliminio assequuntur. In illis naturæ donum est, in his artis opus; artis illius *tritoria*, unde habent carnes ut elactescant in ventriculo, tum ut *lympha* terminum attingant in *tritoriis* omnibus corporis instrumentis. Intereà nihilne roboris ventriculo? nihilne omnibus organis illis peribit, ut ex carnibus educant *lympham*, aut illam parent, quam in terræ frugibus paratam inveniunt, & factam? amplius, nihilne dispendii ferendum veniet vitæ termino? certè tantùm hinc breviando, quantùm corporis viribus aut virtuti *systaltica* insumendum fuerit laboris aut operæ, ut carnes subigendo terendoque fortiter, enasciturам extorqueant *lympham*, quam in frugibus frictu leni resolvendo, natam reperiunt, alendisque vindicant partibus; unde intelliges tantò plus inesse frugibus virtutis ad tuendam producendamque vitam, quantò plus illis superest nativæ non solùm, sed sincerioris, nec adulteratæ creatæ altilis *lympha*. Cogites enim canalitiam fuisse *matrem* illam *lympham* quæ concreata omnibus fuit, & insita herbarum seminibus, fœtam proinde vasculis omnibus, aut tubulatis materiebus, quæ in posteras herbas erant coalituræ. Stupet tibi mens? meliùs, tua hîc imaginatio hæret, fingendi nescia quomodo tam arcta seminum spatia sinu suo condunt, tàm multum simùl, & adeo contractum *lympha* fundum: quâ locorum arte complectuntur tam multiplicem utensilium copiam, tam divitem instrumenrorum supellectilem; sed conceptum tibi juvabit comperta aëris *compressibilitas* abnormis ferè, aut immensa densari ejus potentia. Igitur quâ fide compressa aliqua aëris portio, eò usque dilatabilis invenitur, ut ad spatium trecentiès eo quod occupabat amplius pandi queat, fiduciâ eâdem affirmabis tantillum *matris*, aut creatæ *lympha* dividuum fuisse, imò divisum, dividendumque intrà posterarum herbarum caules & caudices milliarios. Ideoque in nosttatibus herbis ætherea illa *lympha* compressa mirabiliter, mirabiliùsque fœta tubulorum creatorum myriadibus corporum nostrorum alituræ debetur. Illa autem altilis *lympha* quantùm in herbarum nostrarum tubulis sincera durat, in animalium visceribus sanguis & caro ubi facta est, adulteratur tantùm: sic enim pinsita, à positurâ, situ, & ordine deflectit, unde eò plus de suâ ad alendum corpus humanum convenientiâ perdit, quò majorem illius convenientiæ partem insumpserit in formandis animalium carnibus. *Non enim omnis caro eadem caro: alia quidem pecorum, alia volatilium, alia piscium, alia quoque hominum.* Humanæ ergò carnis ad animalium carnes differentiæ mensura erit dispendii vis quam patitur alimonia, quæ ad corpus humanum directò creata, in alendis animalium carnibus impenditur primò, hominis alituræ secundò tantùm & postliminio inservitura. V.

Ut quid ergo carnisprivii legi succensere? Creatoris institutum est, & Naturæ norma. Facta hodie carnium interdictio, quondam victûs consuetudo fuit. Quærunt, quæ ergo homini pœna, si sic olim vita erat? Cassa ergo Ecclesiæ Lex, inane præceptum? cogitasse nefas. At carnium esus indulgentia est, cujus retractatio pœna; plecti namque est, ab indultis arceri, præsertim jucundis & quæ sunt ad hominum palatum. Porrò terræ fruges datæ sunt ut necessaria vitæ subsidia, carnes jucundæ sunt & voluptatis escæ; sed hâc voluptate minui, numquid non, eaquè gravis pœna est? enimverò carnisprivii Lex, non in dispendium naturæ facta est, non in supplicium vitæ, non in sanitatis detrimentum, sed in piaculum. Hinc qualiscumque ægritudo venit, ægritudinis molestia, non morbi pœna, mœror magis quam dolor, afflictatio corporis non perditio sanitatis. Prætexunt, cum naturæ rebus mutata fuisse & debilitata corpora, diluvii nimirum aquis ira maduisse cum terris herbas, factisque à terris per totum diluvii annum halitibus, fractos ita fuisse aëris elateres aut emollitos, ut prioris mundi effœtum fere sit superamentum, qui à diluvio nobis superest mundus. Concludunt illâ eluvie non secùs ac lixivio forti elotas fuisse naturæ res, unde exsuccæ jacuerint, pauperatæ spiritu vivifico illo, unde primævis herbis insignes factæ fuerant potentiæ. Suis ergo herbis vigere potuisse priscæ ætatis homines concedendo, ex herbis jam effœtis, nostros victitare posse negant. Spuria sunt (si illos audias) primatum herbarum *vitulamina*, terrulentæ substantiæ, fatui succi, peregrini saporis, & facultatis alienatæ, quorum ad sanguinem appulsu, densus, lentescens, tardatus, seresсensque ille factus, ægritudinibus mille ponit causas, aut dat materies. Verùm hæc aptè quidèm ad gulæ cupiditates, amoresque palati, ad naturæ autem usus & vitæ necessitates, quàm ineptè! Unde enim nobis isthæc fabula, de terrâ spadoneâ, quasi à diluvio fessa resederit? suaderent stygias fuisse seu muriaticas diluvii aquas, quibus ustulari terras aut exsiccari voluisset Creator? At produnt dari pingues aquas, quæ affluxu suo & effluxu ditant uberrimis frugibus agros.

* *Sic ubi destituit madidos septem fluus agros* * Ovid.
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alveo,
Æthereoque recens exarsit sidere limus;
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt &c.

Terram igitur à diluvio, *Ægypto ſine nubibus feraci* numquid non meliùs comparares? bellè memor diluvii aquas ab aquis aut imbribus ordinariis alias fuiſſe, valdèque diſſimiles. Nempe eruperant ex recluſis * *abyſſo magnâ & cœli cataractis*, duplici illo ſolemni creatarum aquarum promptuario, quibus incubabat *Dei ſpiritus.* Laxatis ergo (Creatoris nutu) geminis illis fontibus, emerſerint illæ aquæ, quas à creatione recentes, totas ideo *Spiritu Dei* turgidas, *diviſerat* Creator *in aquas quæ erant ſub firmamento, ab aquis quæ ſuper firmamentum * erant.* Cave ergo lixivii inſtar habeas aut detergentes, ſed pingues & fœcundas diluvii aquas, quæ incubando terris harum aluerint vires, inſitaque refoverint rerum germina. Nec tibi veniat in poſterùm præſentis terræ ſolū ut effœtus ager, potiùs, ut novelletū quod ab aquis æthere creato gravidatis de novo fuerit refocillatum. Renovationis novum genus! unde imbecilles, craſſæ, & *pituitoſæ* nobis prodierint eſcæ. Ad fœnum fermè & paleas ecce modò devolvimur, ferinas dapes, belluina pabula! Sed hinc procul eſte jocus, dicacitas, ridicula dicta; vertere ſeria ludo Medicum dedecet, ſpeculatorem majeſtatis Naturæ gravem, graves numinis operas tractantem, hominumque vitas. Quod ad *herbas & ligna* reciderit hominum victus, fecit ſapientia Creatoris, quocum deſipiendo philoſophia ſapit. Interim obſervabis tot inter eſcas, quas cibandis animantibus, inſtituit Creator, nullam inveniri, quæ ingentis ſit ſpiritûs, nullam in quâ habeas ſpiritus *evectos*, evolutos, *exaltatos.* Si potulenta ſint, nihil habent vini, ſpiritûs ardentis nihil, aut ſalis volatilis expliciti; ſi cibaria, vel cerealia ſunt, lenta, craſſa, farinaria, pultacea; vel ſunt legumina & fructus, quæ tota diffluunt aquis. *Heu* igitur maleſanam luxuriantis gulæ ſagacitatem, *inventum quoque quomodo aqua * inebriaret!* hujus namque ſortis ſunt vinorum tot & vinolentorum liquorum excogitationes, artes, omnes ex amicabilibus & placidis fructuum ſuccis petulantes eliciendi latices, à primævo hominum potu, proh dolor, quàm degeneres! Cæterùm hinc venit ex leguminum eſu, decantata omnis mali labes; terrea ſunt, (ſi verbis eorum fides) craſſa & lenta; dum ergo d..ui poſcerent aquis, mollibuſque *menſtruis* immadeſcere aut macerari, vinorum ſalibus, acidis, igniculis, denſantur, ſpiſſeſcunt, durantur; interea delictum imputando rebus, quod mixturis illatum aut copulis imparibus debetur, ipſas perperàm vituperant res. Temeraria-ne igitur aut damnoſa ſanitati erat Carniſprivii hodiè antiquata lex, quæ homines ſuos à vini potu olim arcendo, eſculenta illius à noxâ tuebatur? hallucinationi anſa fuit præconcepta de ventriculi coctione mendoſa opinio. Hanc chimicis digeſtionibus aptabant, haſque adjuvante nullâ vaſis continentis operâ perfici intuendo, *menſtrui* ſolius potentiæ ſueverant illas attribuere: *analogiſmi*que ſpecie decepti, docuerunt *menſtrui* alicujus vi dandam quoque eſſe ciborum coctionem. Sed hæc à ventriculi operâ pendet principaliter, tritu nempe aut frictu, quem agunt molles, *elaſticæ*, & flexibiles fibræ. Cum hâc mollitudine partium benè-ne convenit, rigidarū, ſalinarum, exſiccantiū rerū affrictus, contactus, uſus aut eſus? è contrario ſtomachi *ſyſtalticæ* vi hinc mora fit; torpet ergo in movendo ſe, iners, in oſcillando ſegnis, in terendo tardus. Si inde veniant pigrities, gravitates & anxietates rationem hanc habes; carniſprivii Legis cum Creatoris & Naturæ legibus nunc violatur fœdus. Coctionum rationes in aquâ poni voluerat Creator, annuerat carniſprivi lex vinum abdicando, contraïvit error vulgi, hîcque fieri amat hominum pars plurima vulgus; tam facilis, tam contagioſa gulæ luxuries! Palati tam fortis, tam dira cupido! ab ingluvie ſervaſſet homines priſcæ diœtæ non acutus ſapor, ſobrietatis parens, tutela ſanitatis, ſed paris eſt auxilii jejunii Lex feriis eſurialibus ſæpe addicta. Quòd ergò ſub carniſprivio ægreſcant tam multi non aliunde quæras; jejunant pauci. O ignavas, inquiunt, dapes quas ſuggerit tellus, inertes, invalidas, à quibus niſi implearis fatiſcis citò! In his certè parcum eſſe debilitari eſt, tam ſunt ſpiritu inanes! Eſto de ſpiritu peregrino, non ſic de æthere creato & *elatere* primigenio quo turgent integro adhuc, detrito quippe attritu nullo. Indè ex leguminibus invenies non pauca quæ flatibus exæſtuant, ideò quòd in herbis habeas utriculos, capſulas in cerealibus, denſato impensè & immenſè compreſſo æthere illo plenas, qui feſtinantiùs in irato ſtomacho ſolutus, impetu rareſcit, reſilit, diſploditur. Poſthàc mirabere quod *Carminativorum* uſu tàm improſperè cedere ſoleant *flatuum, borborygmorum*, & ejuſmodi *exploſionum* curationes? Igitur ut ignavas terræ fruges, aut ſpiritibus caſſas non habeto, ſpirituum genuinorum reconditoria nata ſunt, creatus virium naturæ fundus. Ecquis reverâ alius unde grandioribus animalium & robuſtioribus fiunt vires? Utrinque autem par, in his & in humano corpore, coctionis organorum apparatus, potentiarum corporis *Mechaniſmus* non impar, ubique tritûs rationes eædem, eædem Leges; quas ſanxit Creator, Natura ſervat, refingit Carniſprivii Lex;

* Gen. c. VII. v. 11.
* Gen. c. 1. v. 1.
* Plin.

Ergo Creatoris & Naturæ Legum imago, carniſprivii Lex.

Proponebat Pariſiis GUILLELMUS-JOSEPHUS DE L'ESPINE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1723. à ſextâ ad meridiem.